

autem infecutus ipsum; *Mane*, inquit: cui Mercator conversus, *Abi*, inquit, à me sordidissime canis: Et Æsopus, *Dic mihi, cujus rei gratia huc venisti?* Et Mercator *Scelestè, ut aliquid doni emerem, tui non egeo, quod tam inutilis es:* Et Æsopus, *Eme me, & si qua est fides, plurimum te juvare possum:* Et ille, *Qua in re, quum penitus mihi odium sis, utilis esse potes?* Et Æsopus, *Nonne domi habes pueros flentes & turbulentos? His præfice me Pedagogum, & omnino eis pro larva ero;* Ridens igitur Mercator statim tres obolos solvens, *Nihil, dixit, exposui, & nihil emi.*

Quum igitur iter fecissent, ac pervenissent in suam Domum, pueruli duo qui adhuc materna sugebant ubera, Æsopo viso, perturbati exclamaverunt, Et Æsopus statim Mercatori dixit, *Habes jam mei promissi probationem:* Ille verò ridens; *Ingressus*, inquit, *saluta conservos tuos?* Introgressum autem ac salutantem quum viderunt illi, *Quodnam malum, inquirunt, Hero nostro contigit, ut servulum tam deformem emerit? sed ut didetur pro fascino Domus, ad advertendum omne malum, hunc adeptus est.* Non multò verò post Mercator, apparari res ad iter servis mandavit, quòd postridiè in *Asiam* profecturus esset. Illi igitur statim vasa distribuebant; Æsopus autem providè rogavit, levissimum onus sibi concedi, utpote nuper empto, & nondum ad hæc ministeria exercitato; His autem, & si nihil portare velit, veniam præbentibus; Ille, non oportere, dixit, omnibus laborantibus se solum inutilem esse: His igitur, quod portare vellet permittentibus, quum huc, & illuc circumspexisset, & vasa diversa congregasset, unà cum saccis stramentis, & canistris, unum canistrum panis plenum quem duo portare debebant sibi imponi poscebat; Illi autem ridentes, & nihil stultius esse Æsopo affirmantes, qui paulo antea levissimum rogabat portare onus, & nunc omnium gravissimum elegerat, oportere tamen desiderio eius satisfacere dicentes, sublatum canistrum Æsopo imponebant; Æsopus, humeris onere gravatis, huc & illuc dimovebatur; Hunc videns Mercator, admiratus est, & inquit, *Æsopus est ad laborandum promptus, & jam suum pretium persolvit, jumentum enim onus, misellus portat.* Quum autem in Horâ prandii divertissent, Æsopus, qui jussus fuit panes unicuique distribuere, semivacuum canistrum, multis comedentibus, fecit, unde post prandium levioere onere factò, alacrius innedebat; Verùm vespere quoque pane illic quo diverterant distributo, posteriâ die, vacuo humeris sublato canistro, primus omnium ibat, ita ut conservis hunc præcurrentem videntibus, dubium esset, utrum deformis esset Æsopus, an quispiam alius; Et quum propius accedens cognovissent eundem esse, admirabantur quod nigellus homuncio solertius omnibus fecerit, quoniam qui facillè consumerentur panes sustulit, quum illi stramenta & reliquam supellectilem bajularent.

Mercator quum esset *Ephesi*, alia quidem mancipia cum lucro vendidit, remanserunt autem tria, *Grammaticus, Cantor, & Æsopus:* Quum vero quidam ex familiaribus Mercatori suavisset ut in *Samum* navigaret, tanquam ibi cum majori lucro vendituro servulos, quum illic pervenisset, *Grammaticum & Cantorem* utrunq; novâ veste indutum in foro statuebat; sed Æsopum, quoniam totus erat mendosus, & deformis, veste ex sacco ei circumpositâ medium inter utrunque constituit, ut & videntes stuperent, dicentes, *Unde hæc abhominatio quæ & alios obscurat?* Æsopus autem, *quamvis à multis morderetur, constanter tamen stetit, ad ipsos intuens.*

*Xanthus* Philosophus, qui tunc habitabat *Sami*, profectus in forum, & cernens duos pueros bellè ornatos in foro astantes, & in medio illorum Æsopum, admiratus est Mercatoris Commentum, quod turpem in medio collocaverat, ut appositione deformis, pulchriores quam re verâ erant, alteri adolescentuli apparerent; Et propius accedens percontatus est *Cantorem*, *Cujas esset?* Et is, *Cappadox;* Tum *Xanthus*, *Quid igitur scis facere?* Omnia respondebat Cantor; Ad hæc Æsopus risit: Sed Discipuli qui cum *Xantho* unâ erant, ut viderunt ipsum ridentem, dentesque ostendentem, statim monstrum aliquod se videre arbitrabantur, & eorum uno, *Certe Hernia est, habens dentes,* dicente; et alio, *Quidnam videns risit?* Alio,